

nam. 3. Est initium nostræ justificationis, cui congruebat exprimeret nostrum ultimum finem, & objectum nostræ beatitudinis.

Dico 2. (Ibid. ad 1.) Hæc Græcorum forma: *Baptizatur, vel baptizetur servus, vel serva Christi N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* est etiam legitima, & valida. Prob. 1. ex Eugenio IV. in instructione Armenorum, ubi, postquam dixit formam Baptismi esse hæc: *Ego te baptizo*, &c. subiungit: *Non tamē negamus, quin & per illa verba, baptizetur, vel baptizatur manibus meis talis servus, vel serva Dei in nomine Patris, &c. verum perficitur Baptisma.* Idem postea definiunt Leo X. Bulla *Acceptimus super*, data ann. 1521, & Clemens VII. Bulla *Provisionis nostræ* 1526. 2. Ecclesia Latina baptizans a Græcis non rebaptizat: & quoties utriusque Ecclesie unio tentata est, & perfecta, nunquam Latini hæc de re Græcis htem moverunt. 3. Hæc forma non differt substantialiter a nostra; utraque enim exprimit actionem baptizandi, & invocationem distinctam SS. Trinitatis.

Dices 1. Græcorum forma non exprimit personam baptizantem, sicut forma Latinorum: ergo. R. 1. Quod, cum baptizans sit tantum causa instrumentalis, non videtur necesse, eam exprimeret. 2. D. Ant. Forma Græcorum non exprimit personam baptizantem in actu signato, sicut forma Latinorum. C. in actu exercito, seu saltē non subintelligitur. N. Si enim enuntiativè dicatur, *baptizatur*, subintelligitur a me, ut ex confessione Simonis Tesselonicensis referunt Arcudius, & Goartius laudati; & sic perinde est, ac *Ego baptizo*. Si dicatur, *baptizetur*, & intelligatur imperativè, subintelligitur pariter a me; imò attentis circumstantiis exprimitur in actu exercito persona baptizans: sicut, si porrigendo librum amico dicam, hic liber sit tuus, perinde est, ac si dicerem, dono tibi hunc librum. Si verò *baptizetur* intelligatur deprecativè, neque etiam excluditur persona baptizans; non enim est sensus, baptizetur a solo Deo, & non per meum ministerium; sic namque nihil efficeret, quia ageret contra institutionem Christi, qui voluit Baptismum conferri ministerio hominum; sed est sensus: baptizetur a Deo servus Christi hoc actu, seu ministerio meo: vel exhibeo Sacramentum Baptismi, suscipiat illud servus Christi a Deo per meum ministerium. Itā ut *baptizetur* sit deprecatorium tantum respectu effectus interioris Sacramenti, imperativum autē respectu actionis externæ. Nota: cum dicimus hic, *Tō baptizetur sumi imperativè*, non intelligimus imperium propriè dictum, quod est ad alium inferiorem; sed latè, & improprie, quatenus minister hoc modo loquendi vult exprimeret efficaciam suam voluntatem efficiendi ministerialitè Sacramentum, & effectum Sacramenti: sicut in exemplo prius allato, cum dico imperativè, iste liber sit tuus, nihil aliud intendo quam donare librum, seu exprimeret intentionem efficaciam donandi librum.

Repones: Græci utuntur hac forma, ne videantur sibi attribueret Baptismum: ergo non subintelligunt a me, sed a solo Deo. Et idè S. Thom. hic art. 5. ad 1. dicit, *Græcos non attribueret Ministris actum Baptismi*: ergo. R. D. Ant. Ne videantur sibi ut causæ principaliter attribueret Baptismum, C. ut causæ instrumentali, N. Contrarium enim expressè tradunt Arcudius, & Goartius jam laudati: & alius, si intenderet excludere suam ministerium, nihil efficeret, ut dictum est. Ad D. Thom. intelligit, Græcos non tribueret Ministris in actu signato actum Baptismi, sicut tribuunt Latini; at non negat, tribui in actu exercito, aut saltē itā subintelligi.

Dices 2. Alexander III. 5. Decret. tit. de Bapt. c. 1. dicit: *Si quis puerum tēr in aqua immerterit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & non dixerit, ego baptizo te, non est puer baptizatus*: ergo. R. Summ. Pontificem nihil aliud voluisse, quam actum baptizandi esse in forma exprimentum, ut dicam 5. seq. id autē definiendo usus est forma Latinorum, quia alloquebatur Latinos; & quia hæc forma est clarior, & magis correspondet Christi verbis, *baptizantes eos*: Hanc autē Græcorum formam esse perantiquam, probant Eucologia a mille, & amplius annis scripta, quæ illam continent.

§. II. Quæ verba sint essentialia in forma Baptismi?

Difficultas est potissimum in hoc §. de duobus, nimirum de expressione actus baptizandi hoc verbo *baptizo*, vel *baptizatur*, & de expressione distincta trium personarum in Trinitate his verbis in nomine Patris, &c. Leviores alias difficultates expediemus §. subsequenti.

Dico 1. (Hic art. 5. ad 1.) Hæc verba, *te baptizo*, vel *baptizatur servus Christi*, vel equivalentia, quibus exprimitur actus Baptismi, sunt omnino necessaria ad valorem Sacramenti, itā ut Baptisma collatum sine illis, dicendo simpliciter in nomine Patris, &c. sit nullum. Prob. 1. ex Alexandro III. immediatè antè hunc §. citato, qui rem expressè definit. Hoc autē Rescriptum Alex. III. datum fuit Petro Pontio ex-Abbate Claro-

vallensi Episcopo Claromontano; qui, cum hæc de re Mauritiū Episcopum Parisiensem, & Stephanum Episcopum Tornacensem convenisset, videretque illos dissentientes; Mauritiū enim rejicebat Baptismum, sine his verbis *Ego te baptizo* collatum, Stephanus admittabat; summ. Pontificem consultavit, a quo præfatum Rescriptum accepit. Itā Annales Cistercienses ad ann. 1176. Definitionem Alexandri III. confirmavit Alexander VII. damnando ann. 1690. hanc propositionem: *Valuit ali-quando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. prætermisiss ipsi: Ego te baptizo*: Est inter plures alias 27.

Prob. 2. ex constanti, & perpetuo usu Ecclesie Græcæ, & Latinæ, quæ semper adhibuit verba actum baptizandi exprimentia, dicendo *baptizo*, vel *baptizatur*. Prob. 3. ratione. (Ib.) Cū ablutio hominis in aqua propter multa fieri possit, puta, propter refrigerationem, sanitatem, ludum, &c. oportet, quod determinetur in verbis formæ, ad quid fiat; hoc autē non fit per hoc, quod dicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. 3. ergo, si in forma non exprimitur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum. Hæc D. Thom. Argumentatio videtur inefficax Laurentio Berti; quia, ut opinatur, ad Sacramentum Confirmationis non requiritur verbum exprimens actum, ut patet, inquit, ex forma Græcorum, quæ est: *Signaculum donationis Spiritus S.* At non advertit doctissimus vir in forma Confirmationis Græcorum implicite importari actionem confirmandi; cum enim dicitur: *Signaculum doni sancti Spiritus*, subintelligitur tibi datur, vel tibi do signaculum, &c. ut dicam infra. Si autē nihil aliud in forma Baptismi diceretur, quam in nomine Patris, &c. actio baptizandi, nec etiam implicite exprimeretur. Insuper per hanc formam *signaculum Spiritus S.* determinatur materia, seu chrismatio ad esse Sacramenti.

Obj. Ex hoc quod Christus dixit: *docete omnes gentes*, non bene colligitur necessitas pronuntiandi inter docendum, *Ego vos doceto*. Item, cum jussit Dominus Moysi projicere virgam, ut fieret serpens, Moyses non debuit dicere, *Ego projicio virgam*. Similiter, cum Elias jussit famulo suo ponere baculum super faciem pueri suscitandi, non debuit dicere famulus, *pono baculum super faciem tuam*: ergo ex illis verbis *baptizantes eos*, &c. male colligitur necessitas dicendi inter baptizandum: *Ego te baptizo*. R. 1. D. Consequens: ergo ex illis verbis male colligitur &c. independentè a Traditione, praxi, & definitionibus Ecclesie, Transeat: Accedente traditione, praxi, & definitionibus Ecclesie, N. Hæc enim, ut jam dixi, est certa, & infallibilis Interpres Scripturarum: & nisi in ea pedem immobiliter figamus, nulla ratione poterit evinci hæc verba *In nomine Patris, &c.* esse pronuntianda; non enim Christus magis jussit, ut baptizantes dicerent in nomine Patris, &c. quam jussit, ut dicerent *Ego te baptizo*. 2. (Ibid.) Disparitas est, quod docere, seu explicare mysteria Fidei, sit de se determinatum ad instructionem; actio autē abluendi non est de se determinata ad Baptismum, seu abluentionem spiritualem. Ad alia duo exempla disparitas est, quod non sit in re sacramentaria, quæ per aliquam formam consecrari debet, sed in patratione miraculorum, ad quam elementa certis verbis non consecratur.

Inst. 1. Traditio his verbis, *Te baptizo*, formæ Baptismi inserendis non faveret: ergo. Prob. Ant. 1. Quinque primis seculis nulla ejus habetur mentio. Primus illius meminit Gregorius magnus sæc. 6. in suo Sacramentario; deinde Ordo Rom. & venerabilis Bedæ libr. variarum Quæst. Q. 14. nec multo magis est antiquior forma Græcorum. 2. Quando in prioribus seculis agebatur de forma Baptismi, solliciti quàm maxime erant SS. Patres de istis verbis, in nomine Patris, &c. non de aliis: ergo. R. N. Ant. Ad primam Prob. N. Conseq. Quamvis enim quinque primis seculis nulla hujus formæ habeatur mentio, quia scilicet nulla circa illam mota erat quæstio, qui tamen 6. seculo illius meminerunt, non eam referunt ut recentèr inductam, sed ut antiquam, & a majoribus communi usu observatam. Ad secundam Prob. N. pariter Conseq. Patres enim erant solliciti de verbis, circa quæ movebantur controversie, & quæ Hæretici adulterabant, ut erant hæc in nomine Patris, &c. de his autē *Ego te baptizo* nullam legimus ortam controversiam antè seculum 12. quam Alexander III. a Pontio Claromontano Episcopo consulto diremit Decretali landata.

Inst. 2. Post datam hanc Decretalem plures insignes Theologi, Petrus Cantor, Præpositivus, & alii adhuc tenuerunt oppositam sententiam: ergo. R. eos errasse. A contumacia tamen sunt excusandi, cum hæc Decretale tunc ignoraverint; non enim facta est publici juris ex auctoritate Pontificia, nisi tempore Gregorii IX. in Collectione S. Raymundi circa medium 13. seculi.

Dico 2. (Ibid. art. 5. & 6. a.) Baptisma, etiamsi in nomine Christi collatum, nullum est sine expressione distincta trium per-

sonarum SS. Trinitatis. Prob. 1. ex Matth. ult. ubi Christus præscribens Apostolis ritum baptizandi, jubet eos baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Apost. Ephes. 5. dicit, quod Christus Ecclesiam sanctificavit mundans lavacro in verbo vite. Super quæ verba Chrysostomus Hom. 20. in hunc locum ait: *In verbo dixit; quoniam? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Prob. 2. Ex perpetuo usu, & definitionibus iteratis Ecclesie. Canon Apost. 49. damnat eum, qui baptizat in morte Christi, & non in nomine Patris, &c. Conc. Nicænum I. generale jubet rebaptizari Paulianistas, non Catharos, seu Novatianos, quia, inquit Innoc. I. Ep. 22. Tom. 2. Conc. Paulianista in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. misimè baptizabant; & Novatiani itidem tremens, venerandis quæ verbis baptizabant. Eandem rationem adferunt Aug. l. de Hæres. n. 44. & Greg. Mag. l. 11. Ep. 67. Propter eandem rationem Conc. Laodicænum jubet rebaptizari Montanistas: Conc. Arlet. II. Photinianus: Constantinop. I. Eunomianor, Montanistas, & Sabelianos. Pelagius Papa 6. sæc. mandat Gaudentio Episcopo, ut rebaptizet eos, qui baptizati sunt solummodo in nomine Domini; non eos, qui baptizati sunt in nomine Trinitatis. Refertur de Consecr. d. 4. cap. *Si reverà* 30. Idem ibid. C. *Mul-ti* 82. damnat eos, qui baptizant in solo nomine Christi, & dicit esse præceptum a Christo Matth. ult. baptizandi in nomine Trinitatis. S. Greg. I. 9. Ep. 6. Quirino jubet rebaptizari eos, qui in nomine Trinitatis non sunt baptizati, ut sint Bonosiani, & Cataphryges. Zacharias Papa ann. 748. scribit Bonifacio Episcopo non esse rebaptizandos, qui fuerint baptizati in nomine Patris, &c. secus, baptizatos, hæc forma non servata. His, & aliis adde Concil. Flor. & Trid.

Prob. 3. Unanimi Patrum utriusque Ecclesie Græcæ, & Latinæ consensus. Ne longior sim, ex innumeris paucos sequentes accipe. Inter Latinos Tertull. l. de Bapt. c. 13. Cyprian. Ep. ad Jubjan. Hieron. l. 4. Comment. in Matth. Aug. l. 3. de Bapt. c. 15. l. 6. c. 25. & alibi; Ambros. l. de Mysteriis c. 4. de Catechumeno dicit: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. remissionem non potest accipere peccatorum*. Hujus verba specialitè refero, quia citatur in contrarium, ut videbimus Inter Græcos S. Justinus Apolog. 2. pro Christianis. S. Basilus l. de Spiritu S. c. 12. Athanas. orat. 2. contra hecresi 16. Damasc. l. 4. Orthod. Fidei c. 10. Theophilactus in Matth. Didymus l. 2. de Spiritu S. tradunt, hæc formam a Christo fuisse præscriptam Matth. ult.

Prob. 4. Ratione. (Ib. art. 6. a.) Sacramenta, ut superius dictum est, habent efficaciam ab intentione Christi; & idè si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, & efficaciam caret, & est nullum, nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam Sacramenti non alligavit; atqui Christus instituit, Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis, ut probavimus ex Traditione, perpetuo usu, & definitionibus Ecclesie: ergo quidquid desit ad plenum invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi. Nec obstat (Ib.) quod in nomine unius personæ intelligatur alia; sicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut quod ille, qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus; quia, sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis; & idè non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimitur. Undè, & in Baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi, affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in natura humana, Spiritus S. in columba.

Obj. 1. Baptizare in nomine Trinitatis est baptizare in virtute, & fide Trinitatis; sicut ejicere dæmonia in nomine Dei, est illa ejicere in virtute Dei: ergo, quemadmodum ex his verbis Marci 16. *In nomine meo dæmonia ejicient*, non colligitur necessitas pronuntiandi nomen Dei ejicendo dæmonia, ita nec ex his baptizantes eos in nomine Patris, &c. colligitur necessitas ea verba pronuntiandi baptizandum. Jam responsum est supra ad simile arg. Scripturam sacram intelligendam esse non secundum privatam cujusque ingenium, sed secundum Traditionem, & Ecclesie communem usum, ac definitiones. Traditionem autem, & Ecclesie communem usum, atque definitionibus docemur, his verbis Matth. ult. non solum fidem, & virtutem Trinitatis designari, sed & præscriptam formam pronuntiandam in Baptismo. Aliunde, ut etiam dixi, patratio miraculorum non debet consecrari, & determinari per certa verba, sicut materia Sacramentorum. Deinde Baptismus est Sacramentum Fidei, & Religionis Christi initiativum, qua Fide, & Religione profitemur Trinitatem personarum, qua Fide, & Religione profitemur Trinitatis fides in eo exprimit. Alioquin, si simpliciter abluas, aut simpliciter dicas: *te baptizo*, incertum erit, quam Fidem, & Religionem profitearis; omissis enim his verbis in nomine Pa-

tris, &c. perinde poteris hoc ritu profiteri Religionem Ebraicam, vel Judæicam, sicut Christianam, sique Baptismus non erit signum sensibile; quo Religioni Christianæ cooptamur.

Obj. 2. Stephanus Papa, teste S. Cyr. Ep. 73. ad Jubjan. agnovit, validum esse Baptisma collatum in solo nomine Christi. Similiter Nicolaus I. in Responso ad Consulta Bulgarorum c. 104. *Hic profecto*, inquit, *si in nomine SS. Trinitatis, vel Trinitatis in nomine Christi, sicut in Actis Apost. legitimus, baptizati sunt (unum quippè idemque est, ut S. exponit Ambrosius) constat eos non esse denuò baptizandos*. Ergo. R. ad 1. Primò incertum est, an Cyprianus loquatur de Stephano; disputationis æstu abreptus mentem ejus non attingit, de quo vide plura, quæ dixi in Tract. de Sacramentis in genere, Digress. Hist. Sect. 5. Ad 2. R. cum Soto, Bellarm. & communiter, Nicolaum hæc dixisse non definiendo, sed ex propria, & privata sententia; non enim de forma Baptismi interrogatus fuerat, sed tantum de Ministerio, an scilicet Baptisma a Judæo, vel Pagano collatum sit validum: ad quod definitivè respondet: quod autem de forma suo rescripto inseruit, privatam sententiam proposuit, quam putavit esse Ambrosii. Quod enim Pontifices suis rescriptis obiter permiscerent, quæ non spectant ea, de quibus interrogantur, & citant Auctores, non censentur loqui ex Cathedra, sed ut privati Doctores; nec majorem volunt sibi adhiberi fidem, quam Auctoribus, quos citant.

Inst. S. Ambros. l. 1. de Spiritu S. c. 5. dicit, quod, sicut Baptisma collatum Eunuchis Candacis Regine, in solo Christo collatum, validum est, ita & collatum in solo Spiritu S. *Si unum*, inquit, *in sermone comprehendat, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei Sacramentum*. Et rationem subdit: *Quia, qui unum dixerit, Trinitatem signavit: si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filius, & Spiritum S. quo unctus est, designasti*. Itā etiam loquitur Beda in c. 10. Act. Difficultatem præ se ferre, non diffiteor, hunc Ambrosii textum, quod decepti Mag. Sent. & Cajet. in sententiam oppositam abierunt. Huic autē duplex adhiberi solet responsio. Prima Responsio, quæ est Berti, Syl-vii, Natal. Alex. Juenin, &c. dicit, Ambrosium non agere ibi de forma Sacramenti, sed de ejus effectu; vultque, non hunc effectum, quamvis in Scripturis uni tantum personæ tribuatur, quia tamen est opus ad extrā, toti Trinitati convenire. Patet ex scopo S. Doctoris; ibi enim contendit probare contra Macedonianos Divinitatem Spiritus S. & cum objiceret dictum esse ab Apost. 1. Cor. 8. *Ex Patre sunt omnia, & per Filium omnia*, ubi nihil de Spiritu S. & idè inferrent, Spiritum S. non esse Deum, respondet: *Ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. designatur, non solum ad Spiritum S. sed etiam ad Patrem refertur, & Filium: nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, ac Spiritum*. Ad hoc autē probandum inducit exemplum Baptismi, cujus effectus tribuitur modò Spiritui S. ut 1. Cor. 12. modò Christo; ut Act. 19. non tamen aliis personis exclusis, sed subintellectis.

Alter Responsio, quæ est iterum Nat. Alex. Hardouin, Habert, Tournely, &c. dicit, S. Ambrosium agere non solum de operatione SS. Trinitatis, sed etiam de fide suscipiendum Baptisma, & velle duntaxat, quod Catechumeni, quamvis de una tantum Trinitatis persona interrogentur, si tamen rectam fidem de tota Trinitate teneant, verum, & integrum recipient Sacramentum. *Plenum est, inquit, fidei Sacramentum, si Patrem, & Filium, Spiritumque fatearis: si unum neges, totum subruas*: Fateri autē est credere, quod spectat suscipiendum. Prosequitur: *Et, quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei Sacramentum*. Id est, si in professione sincera fidei comprehendas unam personam, totam Trinitatem profitearis. Et tandem: *Itā, quamvis Patrem, & Filium, & Spiritum S. dicas; Et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus S. minus potestatem, vacuum est omne Mysterium*. Et hæc iterum verba intelligi non possunt de forma Baptismi; alioquin Baptisma, collatum ab Hæretico errante circa Trinitatem, nullum esset: ergo de fide suscipiendum accipienda sunt. Sensus itaque verborum in objectione laudatorum est: qui antè Baptismum interrogatus de fide, ut moris erat, & ritè instructus, confessus fuit unam personam, v. gr. credo in Dominum Jesum Christum, ut Eunuchus Candacis Regine, qui respondit simpliciter: *Credo, Filium Dei esse Christum*, totam Trinitatem profiteatur, & designat, modò corde nullam personam negat, aut minuat: & hoc sufficit ad suscipiendum Sacramentum, non tamen ad conferendum; quia forma Sacramenti debet exprimi verbis a Christo institutis.

Utraque responsio est probabilis, & fortè utraque vera; non enim sibi contradicunt, sed potius sese mutuo juvant. Cæterum, alterutram esse veram, certò constat: 1. Quia alio-

quin dicendum foret, juxta Ambrosium valuisse, & valere Baptismum collatum in solo Spiritu sancto, quod nemo unquam dixit. 2. Quia Ambrosius l. de Mysteriis dissentit requirit invocationem distinctam Trinitatis, ut patet ex probationibus. Videri etiam potest l. 2. de Sacram. c. 3. 4. 5. & 7. Ad Bedam eodem modo respondendum est, siquidem ibi exseribat dumtaxat verba Ambrosii. At in l. variarum Quæst. q. 14. dicit: Si quis baptizans dicit: Ego te baptizo in Christo Jesu; & non dicat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. non est verus Baptismus.

Urgebis S. Bernardus Ep. 403. alias 404. ad Henricum Archiepiscopum Aurelianensem, interrogatus, an ratus esset Baptismum infanti periclitanti collatum sub hac forma: Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ Crucis. Respondit sic: Ego verè hunc Baptismum puto; nec sonum vocis veritati fides, & pietati intentionis præjudicare potuisse. Addit: Legimus sanè in Actibus Apost. non modò in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. verum, & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos: ergo. R. 1. Verisimile est, hanc Ep. non esse S. Bernardi; quia, ut advertit Michael Baius in Opus. de forma Baptismi c. 4. una est ex triginta, quæ posterius sunt editæ, & quas incertum est esse S. Bernardi. 2. Quia ipse P. Mabillon, qui vult esse genuinum, in Præf. ad S. Bernardi opera fatetur, eam in paucis manuscriptis inveniri, nec in ullo alio præterquam in Sorbonico Exemplari valde mutilo, a se repertam. 3. Quia non est probabile, S. Bernardum probasse Baptismum, præsertim quia collatum in nomine sanctæ, & veræ Crucis, qualem nemo unquam communiavit. Hanc enim rationem formæ prolatae maxime attendit Auctor hujus Epistolæ dicens: In eo quòd addit, sanctæ, & veræ crucis, manifestè commendavit Dominicam passionem. 2. Esto, hanc Epistolam esse S. Bernardi, R. S. Doctorem aliis detentum, & re minis attentè considerata, obiter, & probabiliter tantum hæc dixisse, non certò asseruisse: Breviter, inquit, vobis de proposita Questione respondemus, sine præjudicio tamèn sanius sapientis.

Obj. 3. In pluribus locis Act. Apost. legimus, Apostolos contrulisse Baptismum in nomine Christi: ergo. R. Supposita veritate facti, Apostolos ex speciali Christi revelatione, & dispensatione in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizasse, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quòd ad ejus invocationem Spiritus S. dabatur in Baptismo. Cessante autèm nunc causa dispensationis, cessat dispensatio, nèque ab Apostolorum tempore ullam Ecclesia agnovit, vel admisit. Hæc Auctoris responsio, ut patet, est hypothetica, & ex suppositione facti, quod non discutit. Et ita sæpè respondet in factis, quæ sibi objicit: quia, cum esset Scholasticæ methodo intentus, ejus instituti non erat facta discutere, quæ prolixiorem tractationem exigunt, & a subjecta questione sæpè divertunt. Hoc ergo facto supposito, docet, quid sit respondendum. Ad controversiam nunc est inter eruditos de ipso facto; & an reverà Apostoli aliquandò baptizaverint in solo nomine Christi? Pro quo sit

§. III. An Apostoli aliquandò ex divina dispensatione baptizaverint in solo nomine Christi?

PRO sententia affirmativa citantur Albertus Mag. Altissiodor. Alensis, Scotus cum Scotistis, Richardus Paludanus, Durandus, Sylvester, Turrecremata, Lyranus, Valentia, Toletus, Goner, &c. Pro sententia negativa Estius, Suarez, Vasquez, Sylvius, plerique Recentiores. Natalis Alex. Juenin, Tournely, Berti, &c. Dico: Utraque sententia, tam negans, quam affirmans, est probabilis.

Momenta sententiæ affirmantis proponuntur cum responsis adversa partis.

PRIMUM momentum fundatur in hoc, quod Christus Matth. ult. præcepit Apostolis, ut baptizarent in nomine Patris, &c. ergo non est credibile, eos hanc legem statim violasse baptizando in solo nomine Christi. Si recurratur ad dispensationem: contra est, quòd nullum in tota Scriptura extat hujus dispensationis vestigium, & quòd nulla esset ratio dispensandi. Quod enim dicitur idèò dispensatum fuisse, ut nomen Christi, prius odiosum Judæis, honorabile, & amabile redderetur, futile est: 1. Quia maxima erat Christo gloria associari in forma Baptismi Patri summo Deo. 2. Quia nomen Trinitatis erat pariter Gentibus, & Judæis odiosum. 3. Quia idèò sequeretur, quòd etiam nunc deberet conferri Baptisma in nomine Christi, cum Judæi etiam nunc, sicut olim, sint Christi hostes infensissimi.

Respondent prioris sententiæ vindices, equidèm Apostolis præceptum fuisse, ut communiter, & ordinariè baptizarent in nomine Trinitatis? at id non obstat, quominus cum ipsis sit dispensatum, ut certis de causis ad tempus baptizarent in nomine Christi, si non universaler, saltèm in his circumstantiis, in quibus id exigebat honor Christi.

Ad

Spiritu S. non sequitur Apostolos solùm Christum prædicasse, & non alias Personas, nec ipsos baptizasse in solo Spiritu S. exclusis aliis Personis; ita neque ex hoc quòd dicantur baptizasse in nomine Christi sequitur, quòd in solo ejus nomine, aliis exclusis, baptizarent. Respondent 2. alii, baptizari in nomine Christi, significare, vel baptizari merito, & virtute Christi, sicut dicitur Marci ult. in nomine meo, id est virtute mea; & demonia ejicient: vel baptizari Baptismo a Christo instituto; vel tandem initiari, & consecrari in Christi cultum.

Secundum momentum petitur ex Patribus. Cyprianus Ep. 73. ad Jubajanum dicit, Apostolos baptizasse Judæos in nomine Jesu, Gentiles autèm in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Alia enim, inquit, fuit Judæorum sub Apostolis ratio, alia est Gentilium conditio. Illi, qui jam Legis, & Moysis antiquissimum Baptisma fuerant adepti, in nomine quoquè Jesu Christi erant baptizandi secundum quod in Actibus Apostolorum Petrus loquitur, & dicit: panitentini, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu. Denique, ubi post Resurrectionem Domini Apostoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizari Gentiles jubentur. Hilarius l. de Synodis. Ne postremò Apostoli, inquit, reperiantur in crimine, qui, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. jussu, tantum in nomine Jesu baptizarent. Theophylactus in cap. ult. Lucæ postquam petit, quomòdò Baptisma in nomine solius Christi fieri intelligamus? respondet: Quia Christi nomen in se continet, & Patrem Ingenium, &c. Ferrandus Diaconus Sect. 6. Epist. ad Anatolium scribit: In nomine Domini Jesu Apostoli baptizabant numquid quia Patrem, & Spiritum S. tacebant, idèò negabant?

Ad 1. respondet Tournely, Cyprianum loqui non de forma Baptismi, sed de professione publica fidei illius, qui baptizandus erat. At non videtur hæc responsio satis conformis textui. Fortè illi minis repugnantè respondetur, Cyprianum dixisse Apostolos baptizasse in nomine Christi, non excludendo alias personas: addit enim ibid. Cyprianus Jesu Christi mentionem fecit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoquè Filius adungeretur. Ad 2. respondet, sensum Hilarii esse, non esse tollendas has voces, quibus dicitur Apostolos baptizasse in nomine Jesu, propter pravam aliquorum interpretationem, quia non contradicunt his verbis, baptizantes in nomine Patris, &c. Patet, quia scopus Hilarii est probare, non deserendum esse hoc vocabulum Omomion, quia vitiosè a nonnullis solet intelligi: in ejus probationem affert id, quòd dictum est in Scriptura de Baptismo, qui collatus est in nomine Jesu quasi contra mandatum baptizandi in nomine Trinitatis; id est ut apud Hilarium tantum in nomine Jesu baptizabant itè sit ac tantum in nomine Jesu baptizasse leguntur. Ad 3. respondet, Theophylactum non solum id, quòd objicitur, dicere, sed etiam quòd quandò dicimus Baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quòd oporteat in solius Christi nomine fieri. Ad 4. Laurentius Berti, sententiæ negativæ acerrimus vindex, ingenue fatetur Ferrandum stare pro sententia affirmativa; de ipso enim dicit: Nequeunt hæc verba, Ferrandi, in sententiam nostram trahi, nisi per vim, & violentiam.

Tertium momentum petitur ex causa legitima, quæ tunc aderat dispensandi in forma communi; scilicet, ut diximus ex Auctore, ut nomen Christi, quòd erat odiosum Judæis, honorabile redderetur per hoc, quòd ad ejus invocationem Spiritus S. dabatur in Baptismo, & idèò convinceretur Jesum Nazarenum esse verum Messiam, quòd negabant. Respondent alii, satis honori Christi consultum esse, si ejus nomen pronuntiaretur in forma Baptismi cum nominibus Patris, & Spiritus S.

Momenta sententiæ negativæ cum responsis adversa partis.

PRIMUM momentum fundatur in hoc, quod Christus Matth. ult. præcepit Apostolis, ut baptizarent in nomine Patris, &c. ergo non est credibile, eos hanc legem statim violasse baptizando in solo nomine Christi. Si recurratur ad dispensationem: contra est, quòd nullum in tota Scriptura extat hujus dispensationis vestigium, & quòd nulla esset ratio dispensandi. Quod enim dicitur idèò dispensatum fuisse, ut nomen Christi, prius odiosum Judæis, honorabile, & amabile redderetur, futile est: 1. Quia maxima erat Christo gloria associari in forma Baptismi Patri summo Deo. 2. Quia nomen Trinitatis erat pariter Gentibus, & Judæis odiosum. 3. Quia idèò sequeretur, quòd etiam nunc deberet conferri Baptisma in nomine Christi, cum Judæi etiam nunc, sicut olim, sint Christi hostes infensissimi.

Respondent prioris sententiæ vindices, equidèm Apostolis præceptum fuisse, ut communiter, & ordinariè baptizarent in nomine Trinitatis? at id non obstat, quominus cum ipsis sit dispensatum, ut certis de causis ad tempus baptizarent in nomine Christi, si non universaler, saltèm in his circumstantiis, in quibus id exigebat honor Christi.

Ad 1. Prob. in contrarium respondent, dispensationem legi in Scriptura non quidem in actu signato, sed in actu exercitò: hoc idèò enim quòd legitur, Apostolos baptizasse in nomine Christi, satis constat id fecisse ex dispensatione divina; cum certum sit, ipsos non statim violasse legem sibi à Christo datam. Ad 2. prob. N. Anr. Ad 1. rationem, R. magis esse honorabile Christo, si ejus nomen solum ponatur, quia tunc magis ad illud & ad ejus virtutem attenditur. Adde, quòd illud conjungendo aliis Judæi causati fuissent, non in ejus, sed aliorum, quibus jungebatur, nomine Spiritum S. & gratiam contulerit. Ad 2. nomen Trinitatis apud Judæos magis erat ignotum, quam odiosum; at ita Christum oderant, ut ipsum crucifixerint. Ad 3. N. Sequelam: quia nunc Christi nomine per universum orbem prædicato & exalato, non subsistit amplius ratio recedendi a præcepto communi: sicut nunc, plantata & firmata fide, cessat frequentia miraculorum, quæ fidei seminandæ & firmandæ necessaria erant.

Secundum momentum habetur Act. 10. ubi cum Paulus incidisset in quosdam, qui se Christianos dicebant, & tamen ignorabant Spiritum S. interrogat illos: In quo ergo baptizati estis? at qui hæc interrogatio inepta fuisset, si in solo Christi nomine, non appellato Spiritu S. potuissent baptizari: ergo.

Respondetur ex adversa parte negando Min. Quia moris erat, ut Apostoli neminem tingerent, nisi prius ipsum docuissent mysteria fidei, præsertim Trinitatis, ejusque virtute Baptismum operari. Undè, quamvis baptizati fuissent in solo nomine Christi, debebant scire Spiritum S. & ejus virtute fuisse baptizatos; sicque merito interrogat Apostolus: In quo ergo, id est, in cujus virtute, baptizati estis?

Tertium momentum petitur ex Patribus. S. Cyp. Ep. laudata ad Jubjan, explicans hæc verba Petri Act. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, dicit: Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoquè Filius adungeretur. Aug. adversus Maximinum libr. 3. c. 17. loquens de iis, quos Petrus jussisset baptizari in nomine Domini Jesu, dicit: Si autem, non nominatis Patre & Spiritu S. in nomine Jesu Christi jussu sunt baptizari, non tamen intelliguntur baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

Respondent alii ad 1. sensum S. Cypriani esse, quòd tunc non omnes fuerint Pater quòd virtutem, licet quòd nomen: alii Judæi baptizati fuissent in nomine Patris &c. sicut Gentiles, quòd tamen negat ibid. Cyprianus, ut constat ex probationibus prioris sententiæ. Ad 2. similiter respondent sensum Aug. esse, quòd non intelliguntur baptizati nisi in nomine, id est, nisi in virtute Patris, & Filii, & Spiritus S. quia Aug. vult ibi probare contra Maximinum, negantem Spiritum S. esse creatorem, quòd, quamvis hæc verba, omnia per ipsum facta sunt, sint tantum dicta de Filio; omnia tamèn censeantur etiam esse facta per Spiritum S. quia una est utriusque virtus; sicut, licet dicatur Baptismus collatus in solo Christi nomine, intelligitur tamen collatus in nomine, id est, in virtute Spiritus S.

Reponit Berti, cum hæc responsio displicet, quòd, si Maximinus negabat omnia facta esse per Spiritum S. negabat quoquè eandem esse virtutem Filii & Spiritus S. consequenter negabat in Baptismo, non nominato Spiritu S. Spiritum S. intelligi ex hoc, quòd Filii, & Spiritus S. sit eadem virtus. Sed contra. Aug. arguit contra Maximinum supposita forma Baptismi, quæ sola tunc erat in usu, scilicet cum expressione Patris & Filii & Spiritus S. quam negare non poterat Maximinus; juxta quam formam manifestum est, Spiritum S. sua virtute cum aliis concurrere ad Baptismum. In hæc ergo hypothesi bene arguit Aug. quòd, sicut licet in Baptismo collato ab Apostolis non fuerit nominatus Spiritus, & tamen, ut constabat ex forma communi Baptismi, intelligebatur Spiritum S. ita quamvis in his verbis, omnia per ipsum facta sunt, non nominetur Spiritus S. est tamèn intelligendus. Si quidam alii Patres proponantur, qui videntur sensisse Apostolos nunquam baptizasse in solo nomine Christi, iis, inquit, opponendū sunt alii Patres laudati pro 1. sententiæ, & Scholarum Magistri.

Quartum momentum est impugnatò fundamenti oppositò. Equidèm inquit, in Act. Apost. dicitur Apostoli baptizasse in nomine Christi, at non solius Christi; vel nomine Christi intelligitur merito & virtute Christi, vel Baptismo Christi, ut dicitur esse prius. Respondent alii, quòd, sicut hæc verba Matth. ult. in nomine Patris, &c. intelliguntur simpliciter, invocato nomine Patris, &c. ita hæc in nomine Jesu intelligi debent invocato nomine Jesu. Nec alius Scriptura usa fuisset, si voluisset ut baptizaretur in nomine Christi, sicut baptizatur in nomine Patris.

Quintum momentum est ab inconvenienti. Juxta fidem est unum Baptisma in Ecclesia; atqui, si aliquandò voluisset Baptisma in nomine Christi, forent diversa Baptismata; quia nempe forent diversæ formæ; idèòque diversa composita: ergo.

Respondent, Baptisma dici unum. 1. quia semel susceptum iterari non potest. 2. quia, licet plures Ministri baptizent, unus est tamèn Christus, qui principaliter baptizat. 3. quia, seclusa speciali dispensatione ad tempus, aliud non admittitur.

§. IV. Leviores quædam difficultates circa formam Baptismi breviter expediuntur.

PETES 1. Quid sit censendum de Baptismo, collato in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque? R. (Hic art. 4. ad §. 1. p. q. 40. art. 2. & in 4. d. 2. q. 1. art. 2. q. 2. ad §. 1. p. & in 4.) probabilis esse nullum. Ità cum S. Thom. & Thomistis, Scotus cum Scotistis, Estius, Sylvius, Suarez, & communiter Theologi contra Cajet. & paucos alios, intèr quos novissimè Berù. 1. Quia hæc nomina non æquivalent nominibus Patris, & Filii, & Spiritus S. Hæc enim nomina Pater & Filius formaliter significant relationes Paternitatis & Filiationis, quibus constituentur divinæ Personæ, sique formaliter significant Personas subsistentes. At & Genitor Genitus significant formaliter actus notionales, qui sunt fundamenta relationum. Undè, quamvis idem significant formaliter & eodem modo, sicque non æquivalent & non sunt propriè synonyma. 2. (Ibid. hic.) Sicut ex parte materis aqua sumitur ad Baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ità ad significandum tres personas in forma Baptismi assumantur illa nomina, quibus communis consueverunt nominari personæ in illa lingua; atqui nomina, quibus communis significantur divinæ personæ sunt Pater, Filius, & Spiritus S. non Genitor, & Genitus, & procedens ab utroque: ergo.

Dices: Ecclesia laudat & invocat Trinitatem sub nominibus Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, ut patet in hymno festi corporis Christi, a S. Thom. edito: ergo. R. N. Consequ. Licet enim extrà Sacramentum possit laudari vel invocari Trinitas istis nominibus, eò quòd materialiter & quoad rem idem significant, ac Pater Filius, &c. non tamèn in Sacramento a Christo determinatè instituto; quia idem non significant formaliter & eodem modo, sique non sunt synonyma.

PETES 2. Utrum valeat Baptisma, collatum sub hac forma: Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis, vel in nomine Dei unius & trini, vel in nomine primæ, secundæ, & tertie personæ? R. negativè; quia ut prohibuimus §. 2. Concl. 2. debet fieri distincta expressio trium personarum Patris, Filii, & Spiritus S. Insuper ista non idem significant ac Pater, & Filius & Spiritus S. potest enim esse Trinitas, posuit esse tres personæ, prima, secunda, & tertia, abquè Patre, & Filio, & Spiritu S.

PETES 3. Utrum valeat Baptisma, collatum sub hac forma: Baptizo, aut baptizatur in nomine Patris, &c. absque expressione baptizandi? R. negativè: 1. Personam baptizandi esse exprimentandam, colligitur ex illo Matth. Baptizantes eos. 2. Forma debet significari id, quod in Sacramento peragitur: in Sacramento autèm applicatur materia subjecto determinatò, quòd non significatur dicendum simpliciter: Baptizo, aut baptizatur. Atque idèò debet significari determinatò subjectum per Te, aut aliquid simile. 3. Debet exprimi distinctio intèr baptismum & baptizatum, sicut intèr generantem & genitum; est enim Baptismus Sacramentum regenerationis. Undè Innoc. III. Extra. de Bapt. cap. Debitum declarat, neminem posse seipsum baptizare: ista autèm distinctio non significatur, nisi exprimat personam baptizandam. Neque refert, quòd hæc distinctio significetur per ipsam applicationem materis ad alterum; quia, ut dictum est, forma debet significare id, quòd agitur: non enim in sola materia, sed maxime in forma consistit significatio Sacramenti.

Si dicas, Stephanum III. in Rescriptis Carisiacis nullam designare personam in forma Baptismi, & Eugenium IV. in Decreto unionis declarasse perfici Sacramentum, si exprimatè accus, qui per ipsum exercetur cum SS. Trinitatis invocatione. R. ad 1. Rescripta Carisiaca suppositicia, aut adulterata reputari ab Eruditis, ut vidimus supra. Ad 2. Eugenius prius descripsit formam Latinorum, & Græcorum, quibus exprimitur persona baptizandi: undè, dum dicit perfici Sacramentum, si exprimatè actus, intelligit actum determinatò, ut exprimitur in forma Latinorum per Te, & in forma Græcorum per tò Serpens Christi.

Utrum verò debeat exprimi persona baptizandi determinatò per nomen ejus proprium, vel per pronomen secundæ, vel tertie personæ Te vel Itum? Id quidem requirit Eugenius IV. in laudato Decreto, dicens in forma Græcorum, baptizetur Christi servus (talibus) attamèn nulla ratione videtur id esse de necessitate Sacramenti. Undè, qui diceret, Baptizo servum Christi, vel baptizatur servus Christi, meo iudicio subsisteret Sacramentum. Sed quid, si quis honoris causa dicat, Baptizo vos; vel assuetus loqui in plurali numero dicat: Nos te baptizamus? R. sol-

solvit Sylv. post Cajet. in verbo *absolutio*, quid valeret; quia non variaret substantiam formæ; ejusmodi tamen vanitates sint fugiendæ.

Petes 4. Utrum, si Minister dicat *in nominibus* loco *in nomine*, valeat Baptismus? R. negativè: quia non dixit Christus, Baptizantes *in nominibus*, sed *in nomine*. Supèr quæ verba Ambros. l. 1. de Spiritu S. c. 14. ait: *In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus S. quia unus Deus.* Idem Hieron. in cap. 4. Et ad Ephes. & Aug. l. 2. adv. Maximinum. c. 22. & Tract. 6. in Joann. Ratio est: quia *in nomine* significat substantiam, virtutem, auctoritatem, potestatem, quæ una est in tribus Personis; unde dicendo *in nominibus*, falsum significatur. Non sequitur tamen, fore irritum Baptisma, si replicato *in nomine* quis dicat: Baptizo te *in nomine* Patris, *in nomine* Filii? & *in nomine* Spiritus S. quia ut dictum est, *in nomine* significat substantiam, virtutem, majestatem divinam; nomen autem essentialiter potest repeti sine pluralitate. Sicut dicimus in Symbolo Athanasii, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. non tamen tres Dii.* Similiter in exorcismo baptizandorum, antequam accedat ad baptizandum: *Exorcizo te omnis spiritus immunde in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Filii ejus & judicis nostri, & in virtute Spiritus S.*

Quantum ad præpositionem *In*, non est de essentiali formæ, quia illa omnia remanet sensus substantialis: similiter particula *Et*, propter eandem rationem. Nisi fortè omittatur in sensu Sabelliano, ad significandum, hæc tria nomina esse unam & eandem personam tribus facultatibus instructam. Hic art. 4. ad 1. Idem dicendum de pronome *Ego*; quia, ut dictum est, non est necesse, quod signat exprimat personam baptizantis, ut patet in forma Græcorum: & aliudè sufficienter exprimat per *tu* Baptizo. Tandem pariter constat, particulam *Amen* non esse de substantia formæ, sed esse tantum Sacramenti jam perfecti acclamationem & approbationem: unde in pluribus Ritualibus omittitur. Plura circa præsentem materiam habes in Tract. de Sacramentis in communi. Diss. 1. art. 6. §. 1. sedulo confer.

ARTICULUS V.

Utrum Baptismus possit iterari?

Marcionista, teste S. Epiphano hæsi 42. ter baptizabant semel in infantia, & bis in adultæ ætate, ad imitationem Christi, qui baptismo Joannis, & suo sanguine fuit baptizatus. Anabaptista nostri temporis rebaptizant baptizatos in infantia; & quidam ex illis eos, qui post susceptum semel baptismum à fide deficient. Notum est ex superioribus, Cyprianum cum pluribus aliis equidem rebaptizasse baptizatos ab Hæreticis, sed quia invalidum reputabant eorum baptismum; quibus constanter restitit Stephanus Papa. Pariter notum est, Donatistas eadem ratione rebaptizasse baptizatos, quos pluribus libris exigit Aug. Quæstio est de Baptismo valide suscepto, utrum possit iterari? Pro assertionem dogmatis catholici

Dico 1. (Ibid. art. 9. o.) Baptismus validus nec licite, nec valide iteratur. Prob. 1. ex illo Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati... Et prolapsi sunt; rursus renovari ad penitentiam, rursum crucifigentes sibi metipsos Filium Dei;* atqui hæc verba intelligi non possunt de Penitentia sacramentali, quæ est iterabilis: ergo de Baptismo, quemadmodum Ambros. Chrysost. Aug. & alii contra paucos intelligunt; & ut ostendimus infra de Sacramento Penitentia.

Prob. 2. & præcipue ex Traditione ab Apostolis accepta, quæ nobis constat unanimi Patrum consensu, constanti & perpetua consuetudine, atque definitionibus iteratis Ecclesiarum. Ità de Consecrat. d. 4. cap. *Non licet* 107. Can. 47. inter eos, qui dicuntur Apostolici; Conc. Nicenum I. Conc. Constantinop. I. Conc. Arlat. I. Florent. in Decreto unionis. Trid. Sess. 7. de Sacram. in genere, Can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde iterari non possunt; anathema sit.* Et ibid. de Bapt. Can. 11. *Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud Infideles fidem Christi negavit, cum ad penitentiam converterit; anathema sit.*

Prob. 3. (Ibid.) quatuor rationibus Auctoris. 1. Baptismus est eadem regeneratio spiritualis, Joann. 3. *Nisi quis renatus, & c. atqui unus non est nisi una generatio.* Unde Aug. Tract. 21. in Joann. super illud Joann. *Quomodo, inquit non potest uterus repeti, ita nec baptismus.* 2. In similitudinem mortis Christi baptizatur, per baptismum enim moritur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ; atqui Christus semel mortuus est: ergo semel tantum Baptismus eidem conferendus est. 3. Baptismus imprimat characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur; atque aliæ consecrationes non iteran-

tur in Ecclesia; sic, v. gr. Calices, & alia Vasa sacra non nisi semel consecrantur: ergo nec Baptismus. 4. Baptismus Principaliter datur contra peccatum Originale; atqui peccatum Originale non iteratur: ergo nec Baptismus. Hæc rationes ut patet, non sunt simplices congruentiæ, sed ex ipsa natura Sacramenti petuntur; idèdque probant, non solum Rebaptismus esse illicitum, sed etiam invalidum, adeoque subjectum Baptismi esse hominem non baptizatum, sicut materia Consecrationis est panis non consecratus. Hæc rationum defensionem contra impugnationes Scoti videre potest curiosus Lector apud Dom. Soto in 4. d. 3. q. unica art. 9.

Dices: Si baptisma iteratum sit nullum, ergo rebaptizatio non est peccatum R. N. Sequelam. Imò ob id est peccatum & gravissimum, quod iterari tenetur id, quod non est iterabile: id enim cedit in gravem injuriam & irrisionem Sacramenti, dum contra ejus institutionem tenetur adhiberi subjecto incapaci, & quasi semel datum non sufficeret: veluti si quis uxore vivente alteram duceret, aut hostiam consecratam consecraret.

Dico 2. Si sit dubium fundatum, an aliquis sit baptizatus; sive sit dubium juris, puta, utrum materia, vel forma adhibita sit legitima; sive facti, puta, an de facto sit collatus Baptismus; debet Baptismus, non dico iterari, sed conferri sub conditione, dicendo: *Si es baptizatus, non te baptizo: Si non es baptizatus, te baptizo in nomine Patris, & c.* Ità definit Alexander III. Extra l. 3. Tit. 42. Cap. *De quibus.* Ratio est: quia in hoc casu subvenitur proximo in re maxime necessaria, cum sine Baptismo re suscepto alia Sacramenta valide non recipiatur; & si non sit adultus, salvari nequeat. Hæc autem necessitas juncta conditione abstergit irreverentiam Sacramenti. Neque potest in iterationis crimen venire, quod omnino fictum nescitur, inquit S. Leo Cap. *Cum itaque* cit. in 1. Concl.

Si verò dubium sit infundatum, levis suspicio, vel scrupulus, non potest baptizari etiam sub conditione: tum quia, ut alibi dixi, quando dubium non est fundatum, conditio apposita habetur pro non apposta; deficiente enim ratione probabilis dubitandi, vix serio potest dici, si non es baptizatus, te baptizo; sed potius videtur dici, sive sis baptizatus, sive non, te baptizo; sique disjunctivè intenditur nullius Sacramenti tum quia iteratio Sacramenti facta ex inani dubio est quedam ipsius irrisio.

Ex his inferes 1. Non esse baptizandum sub conditione adultum, qui inter Christianos natus & educatus dubitat, an sit baptizatus, fortè quia non extra amplius Regestum, aut in eo omisus est; vel quia parentes sunt mortui, aut Minister erat senex, & c. quia ut dicit Innoc. III. Cap. *Veniens* de Presbytero, non baptizato: *De illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violentè præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec fortissimis forsân argumentis contrarium probetur.* Idem dicendum de illo, qui audit se ab obstetrice fuisse baptizatum; quia supponere debet quod Parochus prævio examine Baptismum validum judicaverit, aut in dubio repetierit. Inferes 2. Non etiam baptizandum sub conditione illum, cujus baptismum attestatur unus testis oculus omni exceptione major; qui hujusmodi testimonium, seculus indicis in contrarium, morale certitudinem facit. Inferes 3. E contra baptizandos esse sub conditione eos, qui ante Baptismum a parentibus sunt avulsi, aut inter Infideles nati, & non est aliquis fide dignus, qui eos esse baptizatos testetur; tunc enim est fundatum dubium, an sint baptizati: & ità resolvit Conc. Carthag. V. c. 6. Inferes 4. etiam sub conditione baptizandos infantes, qui reperiuntur expositi ad valvas Ecclesiarum, vel alibi, sine scheda, vel testimonio sui Baptismi; quia consuetum est, ut, dum sunt baptizati, habeant aliquod hujusmodi testimonium.

Casus dubii.

Primus. An infans inter Catholicos ad valvas Templi, aut alibi, expositus cum scheda, aut aliquo alio testimonio sui Baptismi; debeat nihilominus baptizari sub conditione? Negant plurimi Auctores. Numerat 28. Franciscus a Jesu Maria: quorum ratio est; quia non est credibile, parentes, aut tutores, qui præsumuntur Catholicis, cum inter Catholicos reperiuntur expositi, voluisse fraude, aut mendacio filium suum necessario Sacramento privare. Affirmant etiam plures. Numerat 20. laudatus Scriptores, quibus subscribo: quia, quamvis inter Catholicos, non constat tamen, a quo ista scheda fuit scripta, fortè a malefica muliere, a viro iniquo, a Judæo, ab Atheo, & c. Et esto, qui scripsit, fuerit vir catholicus, probus, & sincerus, qui nollet fallere in re tam gravi, sed nihil fortè scripsit, quam quod audivit ab aliqua femina, aut Laico, qui vel ex turbatione, aut ignorantia potuit essentialiter omittere. Et ideo statutum est in Synodo 2. Camerac. & Mediolanensi sub S. Carolo Borromeo, hos esse sub conditione baptizandos.

Secundus casus dubius est de infante baptizato domi ab obstetrice, vel altero Laico. Si Parochus, diligenti inquisitione facta, certò moraliter judicet omnia essentialia adhibita, extra controversiam non esse posse repeti Baptismum. At nisi testis gravis, & oculatus asserat, omnia essentialia esse servata, vix aut ne vix, meo judicio, id certò constare potest. Experiencia namque notum est, multas mulieres sive ex ignorantia, sive ex turbatione, in materia, vel forma errare; item sæpè referre aliter, quam fecerint, aut dixerint; item semel, aut iterum deprehensas, quod bene fecerint, deinceps malitiosè errare, & tamen asserere se more solito baptizasse. Unde excepto casu testis, ut dictum est, qui raro contingit, existimo non esse damnamum, qui sic baptizatum baptizaret sub conditione. Ità, contradicentibus multis, censent Sylvius, Mol-nus, & alii; sicque statuant Pastoralis Mechliniense, & Synodus Iprensis sub Martino Rithovio Tit. 2. c. 5.

Tertius casus dubius est de baptizato ab Hæreticis. Equidem fide certum est, baptizatum ab Hæretico, qui omnia essentialia observavit, esse valide baptizatum, nec ullatenus esse baptizandum sub conditione. Quia tamen experientia constat, hodiernis Hæreticis sæpè, vel aquam rosaceam honoris causa adhibere, vel ut ostendant verba esse concionatoria, & non consecratoria, unum infundere aquam, & alterum proferre verba, vel ratione frigoris solas vestes aspergere, vel plebejos igitur Sacramentum conferre, vel tandem in odium Catholicorum aliquo alio modo illud temerare; nisi, ut in priori casu dictum est, adsit testis catholicus, gravis, & oculatus, qui asserat omnia essentialia ritè fuisse servata, pariter censeo non esse culpandum, qui sic baptizatos regulariter baptizaret sub conditione. Et ità statuit Synodus Mechliniensis ann. 1607. Tit. 3. c. 6. a Paulo V. ann. seq. approbata. Observandum, adultis, qui sub conditione baptizantur, teneri post sic susceptum Baptismum confiteri peccata post primum Baptismum commissæ, ne fortè, si primus Baptismus valuerit, secundus, ut potè irritus, nihil efficiat.

Petes 3. quæ sint pœnæ rebaptizantium? R. Jure civili Cod. *Ne sanctum baptismum reiteretur* libr. 1. damnantur poena mortis. Hæc lex lata fuit occasione Donatistarum. Jure Ecclesiastico incurrit irregularitatem. Cap. *Ex litterarum* 2. Extra de Apostatis libr. 5. ex Alexandro III. Equidem Pontifex exprimit tantum Acolythum, qui adfuerat respondens rebaptizanti; & quia secundum regulam communem irregularitas non incurritur, nisi sit in Jure expressa, posset videri rebaptizantem eam non incurere. Attamen consuetudo, quæ est optima Legum interpretis, hanc Decretalem sic intelligit, ut etiam rebaptizans sit irregularis. Et ità tenent communiter Casuista, & Jurisperiti. Similiter ii, qui se rebaptizari faciunt, aut patiuntur, incurrit irregularitatem, c. *Conferendum* d. 5. c. *Qui in qualibet causa* 1. q. 7. & c. *Eos de Consecr. d. 4.* Est tamen discrimen inter irregularitatem rebaptizantis, & rebaptizati, quod irregularitas rebaptizati sit completa, impediens ipsum, & promovendi ad superiores Ordines, & in susceptis ministrare: irregularitas autem rebaptizantis impedit tantum promovendi ad superiores Ordines, non in susceptis ministrare. Imò herendo litteræ Decretalis *Ex litterarum*, videtur, quòd nec ista irregularitas incompleta rebaptizantis incurritur, nisi crimen sit publicum: subjungitur enim: *si crimen sit occultum, poterit promoveri.* Sed, inquit Sylvius, ob receptam in Ecclesia consuetudinem verius videtur, hanc diminuat irregularitatem etiam incurri, quando crimen est occultum.

Utrum verò, qui, nihil, vel levitèr dubitans de valore Baptismi, baptizatus sub conditione, incurrat hanc irregularitatem? Videtur probabilis, quòd non; quia hæc irregularitas non est neque in Jure, neque in consuetudine: Jura enim loquuntur de rebaptizantibus absolute, iste autem non intendit rebaptizare, imò, nec baptizare, nisi supposito quòd baptismus sit invalidus. Aliudè pœnæ sunt restringendæ. Idem videtur probabiliter dicendum de his, qui metu coacti rebaptizant, aut rebaptizantur, si sine intentione baptismum dandi, vel recipiendi, sed tantum ritum externum exhibendi, vel recipiendi, id agant, vel patiuntur; quia non intendunt iterationem Baptismi. Sicut non excommunicatur, licet gravius peccet, qui fidem corde retentam externis abnegat. Neque obstat, quòd Ecclesia punit actus externos; eos enim punit ut procedentes ab interiori. Ità Sylvius.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter assignentur tria Baptismata, scilicet Fluminis, Flammis, & Sanguinis?

Nota. 1. Baptismus fluminis dicitur perfecta cordis contritio, seu quilibet actus perfectæ charitatis, includens saltem virtualiter, & implicite votum Baptismi aque. Dicitur fluminis Theol. Billuart. Pars Tertia.

a Flamine, seu Spiritu S. movente cor ad diligendum Deum, & poenitentiam de peccatis. Baptismus sanguinis est martyrium pro Christo toleratum, antecedens Baptismum aque. Dicitur sanguinis ab ejus effusione, quæ contingit ordinariè in martyrio. De Baptismo aque hæc usquè diximus. Nota 2. hanc trium Baptismatum distinctionem esse frequentem, non solum apud Scholasticos, sed etiam apud SS. Patres, Ambros. in Ps. 118. Greg. Nazianz. Orat. 39. in sancta Lumina, Hieron. super illud Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma,* Aug. libr. 4. de Bapt. c. 21. Bernard. Ep. 77. ad Hug. Viet. Idque cum fundamento in Scripturis, quæ nomen Baptismi charitati, & martyrio tribuunt. Sic quantum ad charitatem Matth. 23. dicitur: *Ille baptizabit vos Spiritu.* Et Act. 1. *Baptizabimini Spiritu S.* id est, charitate diffusa per Spiritum S. Quantum ad Martyrium, Marci 10. *Potesis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari.* Nota 3. (Hic art. 11. o.) Baptismata fluminis, & sanguinis in tantum dici baptismata, in quantum suppleant vices baptismi aque quoad principalem ejus effectum, scilicet gratiam, & remissionem peccatorum; idèdque non esse Sacramenta, nec propriè, & univocè baptismata, sed impropris tantum, & analogicè.

Si dicas, quemlibet actum perfectæ charitatis supplere etiam vices aliorum Sacramentorum, Confirmationis, Eucharistia, Poenitentia, quoad principalem eorum effectum, scilicet, gratiam; & tamen non dici Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, & c. R. Actum perfectæ charitatis non supplere vices aliorum Sacramentorum tam insignitè, quam Baptismus cum enim Baptismus sit necessarius ad peccati Orig. delationem, juxta illud Joann. 3. *Nisi quis renatus, & c.* indè quidam dicent, neminem sine Baptismo aque re suscepto posse consequi remissionem peccati Orig. & salvari; SS. Patres, ut ex uia patet non negarent contra Evangelium necessitatem Baptismi, & ex altera salutem impossibilem non redderent, prudenter dixerunt actus remissivos peccati Orig. esse baptismata, eò quòd vicem Baptismi quantum ad hoc supplerent. Idque cum fundamento in Scriptura, ut dictum est.

Quæstio est igitur, an perfecta contritio, seu quilibet actus perfectæ charitatis, & martyrium suppleant vices Baptismi aque ad obtinendam gratiam sanctificantem, & hæc ratione possint dici baptismata. Duplicem questionem duplici §. resolvemus.

§. I. Utrum Baptismus Fluminis suppleat vices Baptismi aque, quantum ad gratia collationem?

Dico. (Ibid.) Baptisma fluminis, seu perfecta contritio, & quilibet actus charitatis perfectæ cum voto baptismi aque supplet ejus vices quoad effectum primarium, scilicet, gratiam remissivam peccatorum. Prob. 1. ex Scriptura, quæ poenitentibus, creditibus, Deum diligentibus, & invocantibus, salutem promittit. Ezech. 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis... vita vivet, & non morietur.* Ibid. *Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ps. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Joann. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum.* Rom. 10. *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* Ibid. *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Idem Is. 4. & 24. Act. 2. & alibi. Item Act. 10. Cornelius, & alii leguntur accepisse Spiritum S. antequam baptizarentur.

Prob. 2. Ex definitionibus Ecclesiarum. Conc. Trid. sess. 6. c. 4. declarat, post promulgatum Evangelium, nunquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratia, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit.* Idem definit. sess. 7. Can. 4. de Sacram. in genere. Item sess. 14. c. 4. de Sacramento Penit. his aperit significans, justificationem posse haberi non solum per Baptismum re susceptum, sed etiam per ejus votum, sententiamque Christi generalem intelligendam esse de Baptismo aque in re, vel in voto. Innoc. III. electus Pontifex ann. 1190. libr. 3. Decret. tit. de Bapt. 42. cap. *Debitum* 4. de Judæo, qui seipsum baptizaverat, dicit nullum quidem esse Baptismum; attamen, si continuò decessisset, ad Patriam protinus evolasset propter Sacramenti fidem, etiam non propter fidei Sacramentum. Idem ibid. tit. 43. cap. *Apostolicam* de Presbytero non baptizato, qui se credebatur baptizatum, sic decernit: *Si in sancta Matris Ecclesie, & Christi nominis confessione perseveraverit, ad originali peccato solutum, & celestis Patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter.* Idque probat auctoritate SS. Ambros. & Aug. Tum monet Episcopum Cremonensem, ad quem rescribit, ut, *sopitis questionibus Doctorum, SS. Patrum sententias teneat, & in Ecclesia sua jures preces, hostiasque Deo offerri jubeat pro Presbytero memorato.* S. Pius V. & Greg. XIII. hanc 31. proposit. inter Baianas proscripturam: *Charitas perfecta, que*

est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, in Catechumens, & penitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

Prob. 3. Ex patribus. Cyprian. Ep. 77. ad Jubajan. de his, quos putabat decessisse sine vero Baptismo, dicit, Deum ex sua indulgentia, & misericordia eorum voluntatem supplere posse. Ambrosius in Orat. funebri de obitu Valentiniani Imperatoris: Audite, inquit, vos dolere, quid non acceperit Sacramenta Baptismatis: dicit mihi quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut, antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proxime baptizare se a me vel le significavit, & ideo pro ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? certe quia poposcit, accepit, Aug. libr. 4. de Bapt. c. 22. Invenio, inquit, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deest, supplere posse; sed etiam fidem, conversionemque cordi, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurrere non possit. Et infra dicit: Sine visibili Sacramento impleri invisibiliter, quod ad Rom. 10. inquit Apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; quando mysterium Baptismatis non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Similiter scribit ibid. cap. 25. Et hoc referuntur in Jur. c. Baptimi, De cons. d. 4. Bernard. Ep. 77. ad Hug. Vict. ex professo impugnat sententiam contrariam, nostramque variis momentis probat, & producit Ambros. & Aug. testimonis sic ait: Ab his duabus columnis difficile avellor: cum his, inquam, errare, aut sapere fateor, credens, & ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramenti, si tamen pro adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quocumque vis invisibilis obtulerit. His omnibus innoxia sacra Facultas Parisiensis ann. 1660. iudicio doctrinali declaravit hereticam hanc propositionem: Per contritionem perfectam, non adhibito realliter Sacramento Baptismi, vel Penitentiae, non dimittitur crimen extra casum martyrii, & necessitatis.

Prob. 4. ratione. Quia actus perfectae caritatis est inseparabiliter conjunctus cum gratia sanctificante, sive antecedenter, sive concomitantiter, sive consequenter, ut constat ex his, quae dixi in Tract. de Grat. Diss. 7. art. 4. & constat ex dictis de Penitentia, patetque ex locis Scripturae in 1. prob. citatis, & omnibus aliis, in quibus asseritur Deum diligere diligentes se.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Lex ista, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, est generalis, neminem excipiens: ergo. R. N. Conseq. Quia, qui dicit generaliter nisi quis renatus fuerit, &c. non minus generaliter dicit: omnis, qui credit in illum, non confundetur. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Qui diligit me, diligitur a Patre meo. Et alia, quae protulimus in prima probatione. Et ideo Ecclesia merito intelligit hanc generalem Christi sententiam, Nisi quis renatus, &c. de Baptismo aquae in re, vel in voto.

Inst. Haec Lex, Nisi qui renatus, &c. est posterior: ergo derogat prioribus; sunt enim omnes positivae. R. 1. N. Ant. Post enim legem datam de Bapt. Joann. 3. dictum est: Omnis qui credit, &c. Quicumque invocaverit, &c. Qui diligit me, &c. 2. Dato gratis Ant. N. Conseq. Quia leges dimittendi peccata penitentibus sic sunt positivae, ut tamen habeant aequitatem ex lege naturae, dicant congruum esse, ut detur venia penitentis, gratia, & salus ex corde petenti: Lex autem Baptismi est mere positiva, sive non est tantae dignitatis, ac priores, neque consequenter illis derogat.

Obj. 2. Act. 22. Ananias dicit Paulo contrito, & penitenti: Baptizare, & ablue peccata tua: ergo contrito Pauli quantumvis intensa non deleverat ejus peccata. R. N. Conseq. Quamvis enim peccata Pauli essent deleta per contritionem, potuit illi dicere Ananias: Baptizare, & ablue peccata tua: 1. Quia ignotum erat Ananias, an contrito Pauli talis esset, quae deleverat ejus peccata; soli Deo enim cor hominis patet. Unde, quando agitur de Sacramento Baptismi, aut Penitentiae suscipiendo, neque suscipiens, neque Minister debent presumere tantam esse contritionem, ut peccata deleat, cum haec contritio non sit ita frequens, nec tam facilis, sed suscipiens debet humiliter petere, Minister diligenter administrare, quasi suscipiens indigeret revera Sacramento ad deletionem peccatorum. Sic agunt religiosi, & prudentes Ministri, & sic agit Ananias. 2. Quia per contritionem, etsi perfectam, non dimittitur regulariter peccatum quoad totam poenam, quae certo dimittitur per Baptismum. 3. Quia, cum actus contritionis non justificet, nisi quatenus includit votum Baptismi, merito tribuitur Baptismo justificatio, & a peccatis, & a poenis peccatorum; sicut docet Trid. de Sacram. Penitent. sess. 14. cap. 4.

Obj. 3. ex SS. Patribus. Ambros. libr. de Mysteriis c. 4. di-

cit: Credit Catechumenus ... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritu S. remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus habere. Et l. de Adamo c. 11. ubi, recitata Evang. sententia, Nisi quis renatus fuerit, &c. dicit: Nullum excipit, utique non infantem, non aliqua praeventum necessitate: ergo. Ad 1. respondent quidam, Ambrosium loqui de Baptismo in re, vel in voto; quia ad justificationem sola fides non sufficit. Alii, & communius respondent, ipsum loqui de Catechumenis, qui, cum sibi justivideantur, negligunt, vel contempnunt Sacramentum. Ad 2. R. Ambrosium loqui de infantibus, qui, excepto casu Martyrii, salvari non possunt absque Baptismo in re suscepto.

Obj. 4. variis Aug. Textus. Tract. 4. in Joann. loquens de Catechumenis, dicit: Omnia peccata super illos sunt, & nisi venerint ad salutarem Baptismum, ubi peccata solvantur, cum omni sua excellentia non possunt intrare in Regnum caelorum. Et Tract. 13. Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamén sarcinam suae iniquitatis portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ab Baptismo: ergo. R. ad utrumque Textum, ut ante ad Ambros. S. Aug. loqui de illis Catechumenis, qui, superbia elati, seque justos, & meliores baptizatis existimantes, Baptismum negligunt, aut contempnunt. Patet ex ipsis verbis obiectis, si bene perpendantur, sed aperte ex his, quae praemittit S. D. ibid. Tract. 13. Quare, inquit, oportebat, ut Dominus baptizaretur: quia multi contempturi erant Baptismum, ed quod majori gratia praediti viderentur, quam viderent alios Fideles, v. gr. jam continenter vivens Catechumenus contempneret conjunctum, & diceret se meliorem, quam ille sit Fidelis. Ille Catechumenus posset dicere in corde suo: quid mihi opus est accipere Baptismum, ut hoc habeam quod & iste, quo jam melior sum?

Inst. 1. Idem libr. de peccat. meritis c. 26. dicit: Sanctificato Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in Regnum caelorum: ergo. R. Aug. non loqui ibi de sanctificatione perfecta, quae est per veram cordis conversionem; sed de sanctificatione imperfecta, quae Catechumeni praeparantur ad Baptismum, ut signo crucis, oratione, manuum impositione, &c. vult enim ibi probare illud Apostoli 1. Cor. 7. Sanctificatio est vir infidelis per multiterm fidelem, & cum debere intelligi de sanctificatione perfecta, quae est per gratiam; ad quod declarandum adducit exemplum Catechumenorum, quos dicit modis praefatis sanctificari, & tamen non perfecta justificari.

Inst. 2. Idem l. de origine animae c. 9. Nemo, inquit, fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo: ergo. R. Aug. ibi loqui expressè de parvulis. Sed esto loqueretur de adultis, id adhuc esset verum de Baptismate in re, vel in voto.

Inst. 3. Aug. l. de unit. Ecclesiae c. 22. Utrumque, inquit, necessarium est ad Regnum Dei adipiscendum, & Baptismus, & justitia. Idem dicit l. 4. contra Donat. c. 21. R. Aug. in utroque loco loqui de eo, quod fit ordinariè, & extra casum necessitatis; ordinariè enim, & extra casum necessitatis nemo salvatur, nisi sit justus, & baptizatus: quia, quamvis per veram, & perfectam cordis contritionem cum voto Baptismi homo justificetur, si tamen extra casum necessitatis non recipiat Baptismum, dum potest, sed negligat, aut contempnat, a justitia decidit; & ideo ordinariè, & in hac hypothese utrumque est necessarium ad adipiscendum Regnum caelorum. Hanc esse mentem Aug. patet ex ultimo loco cit. Si enim, inquit, Cornelius, etiam Spiritu S. jam accepto, baptizari nolisset, contempni tantum Sacramenti reus fieret. Et c. 25. Conversio cordis potest quidem inesse, non percepto Sacramento; sed eo contempto, non potest. Et, ut praecipue instantia, hoc etiam sensu intelligendus est Aug. dum in probationibus conclusionis, & alibi dicit, contritionem cum voto Baptismi sufficere in necessitate. Non enim est sensus, quod extra casum necessitatis nemo per contritionem perfectam sit justus; sed quia, si extra casum necessitatis, & opportunitate oblata, dum potest, & debet recipere Baptismum, ipsum nulla excusante causa non recipiat, fit reus Baptismi neglecti, aut contempti; & sic desinit esse justus.

Inst. 4. Aug. ut refertur de Consecr. d. 4. c. 27. dicit: Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere non credimus, excepto martyrio: ergo. R. (Ousp. art. 11.) hunc textum male a Gratiano citari ex Aug. Est enim deprompsit ex l. de dogmatibus Ecclesiasticis c. 74. qui liber est Gennadii Massiliensis, cujus, ut potest secatioris Semi-Pelagianorum, auctoritas nullius est ponderis. Ceterum de mente Aug. sicut & Ambrosii, post expressa eorum testimonia in probationibus laudata, nullatenus videtur dubitandum, nisi velimus palpabilibus contradictionibus ipsos implicare.

Difficilius est quosdam alios Patres explicare. Greg. Nazianz. Orat. 40. in sanctum Baptisma, dicit eos, qui baptizari cupiunt, & non possunt, excludi a gloria. Similia docent Ba-

silius, Nyssenus, Fulgentius Ep. 18. ad Ferrandum Diaconum, & libr. de fide ad Petrum. Respondent quidam, Nazianzenum loqui de iis, quibus deest contritio perfecta. Alii, ipsum velle quod non habeat nisi infimum locum in beatitudine, scilicet, per modum haereditatis tantum, sicut parvuli, non per modum mercedis, quia pariter dicit, baptizatos in fine vitae, si post Baptismum nihil boni egerint, ignis quidam supplicium a se excludere, premium tamen, seu gloriam non consequi. Quod catholicè intelligi non potest, nisi quod non consequantur gloriam ut premium, sed ut haereditatem tantum, sique infimum gradum, ut parvuli. Ad alios Patres prima solutio potest adhiberi. Verum alii ingenè fatentur, laudatos Patres vix posse adduci in sententiam nostram; & ideo, iis cum reverentia dimissis, adhaerendum esse aliis Patribus, communi sensui, & definitionibus Ecclesiae.

Obj. 5. Ecclesiae s. prioribus saeculis pro Catechumenis, qui sine Baptismo re suscepto mortui essent, nec preces fundebat, nec sacrificia offerebat. De Ecclesia Rom. testes sunt S. Leo Ep. 82. aliis 91. & Gelasius l. in Conc. Rom. De Ecclesia Hispanica constat ex 2. Conc. Braccarensi ann. 563. cap. 17. ergo. R. 1. Hanc disciplinam non fuisse uniformem in omnibus Ecclesiis. Contraria enim observabatur in Ecclesia Mediolanensi, teste Ambros. in Orat. de obitu Valentiniani. Item in Ecclesia Carthagini. teste Conc. 4. Carthag. & in Ecclesia Arelat. teste Conc. ibid. 2. Et ipsa Romana Ecclesia suam hac in re disciplinam mutavit saeculo 6. R. 2. N. Conseq. Causa enim, cur quaedam Ecclesiae sic egerint cum Catechumenis sine Baptismo defunctis, non fuit, quod crederent eos non esse justos, & salvos; sed ut hoc rigore acuerent quorundam ignaviam, qui vel laboribus Catechumenis terrent, vel ut liberius vitis indulgerent, suum Baptismum procrastinant.

§. II. Utrum Baptismus sanguinis, seu Martyrium, supplet vias Baptismi aquae; & quomodo?

Quid sit Martyrium, cujus virtutis actus, quae conditiones requirantur, ut sit verum, & salutare, plerumque alia hinc spectantia, abundè explicui in Tract. de Fortitudine Diss. 1. art. 2. Illic recurrit Lector; haec enim pro hic dictis supponimus, & quærimus dumtaxat nunc, an martyrium suppleat vias Baptismi aquae quoad remissionem culpæ, & poenæ, & quomodo, an ex opere operato, vel ex opere operantis tantum? Primum admittitur ab omnibus Catholicis: inter haereticos pauci negant. Valentinus, teste Tertull. libr. Scorpi. c. 1. impatitenter ferens, aliquem martyrem sibi in Episcopatu praelatum fuisse, adversus martyrium debicohatus est, contentens nullum meritum, nullam virtutem ei inesse, sed esse vanitatem, imò demeritiam pro Deo mori. Hunc sequuti sunt Valentiniani, & Titianus, teste eodem Tertull. libr. de Praescript. cap. 52. Contra quo scriperunt Justinus, Irenæus, & alii. Secundum controversatur inter Catholicos.

Dico 1. (Hic art. 11. o.) Martyrium supplet vicem Baptismi aquae quoad remissionem totius culpæ, & poenæ, tam in infantibus, quam in adultis. Prob. 1. ex Scriptura. Matth. 10. dicit Christus: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Similiter Matth. 16. Marci 8. Luc. 9. & 17. Haec autem sententia est generalis comprehendens parvulos, & adultos, etiam non baptizatos. Unde Aug. libr. 13. de Civit. Dei c. 7. Qui dixit: nisi quis renatus fuerit, & non minus generaliter dicit: qui me confessus fuerit, &c. Infantes autem confitentur Christum non loquendo, sed moriendo, ut canit Ecclesia de SS. Innocentibus.

Prob. 2. ex sensu, & praxi totius Ecclesiae, quae colit ut Sanctos Infantes, pro Christo occisos jussu Herodis. Neque dici potest, omnes fuisse circumcisos, & ideo colit ut Sanctos; cum enim jussisset Herodes occidi omnes a bimatu, & infra, qui erant Bethelam, & in omnibus finibus ejus, & Circumcisio non dabatur ante octavum diem a Nativitate, dubium est fuisse aliquos incircumcisos. Aliunde Ecclesia colit illos non solum ut regeneratos, sed etiam ut martyres. Quantum ad adultos, Ecclesia pariter pro eis non offert preces, & sacrificia, sed eorum opem apud Deum implorat, certa quod aeterna beatitudine donati suffragiis nostris non indigeant, sed suo nos patrocinio juvare possint. Unde illud Innoc. III. C. Cum Martine, de celebrat. Miss. Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Quod desumptum est ex Aug. Tract. 48. in Joann. ubi ait: Non sic eos (Martyres) commemoramus... ut pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis.

Prob. 3. Ex unanimo Patrum consensu, qui id asserunt modo de parvulis, modo de adultis, modo generaliter de omnibus. Tertull. libr. de Bapt. c. 16. Cyp. Ep. 73. Chrysost. Hom. in varia Math. loca, Aug. 13. de Civit. c. 7. item libr. de anima, & ejus orig. c. 9. & alii, quorum aliquos textus infra referemus. 4. Theol. Billuart. Pars Tertia.

Ratio suadet. (Ibid.) Baptismus aquae habet efficaciam ex Passione Christi, quatenus fit in similitudinem mortis ejus; atqui martyrium non solum in figura, sed reali imitatione refert Mortem Christi: ergo non debent martyres ejus fructu privari.

Dices: Martyrium est actus fortitudinis; atqui infantes non sunt illius capaces: ergo. R. D. Ant. Martyrium, sumptum pro voluntaria mortis acceptatione propter Christum, est actus fortitudinis, C. sumptum pro ipsa morte propter Christum tolerata, Subdistinguo: est actus fortitudinis formaliter, N. objective, C. Et hoc sensu infantes sunt Martyres. Martyrio autem, ultimo sensu sumpto, ut est scilicet realis imitatio Mortis Christi, & actus fortitudinis objective, annexum est privilegium conferendi gratiam ex opere operato, ut modò dicam; cum sub prima consideratione, ut est scilicet voluntaria acceptatio mortis, & formaliter actus fortitudinis, concurrat tantum ad gratiam ex opere operantis, ut actus aliarum virtutum.

Dico 2. Martyrium supplet vicem Baptismi aquae quantum ad remissionem culpæ, & poenæ, tam in adultis, quam in infantibus, ex opere operato; non activè, & physicè, sed passivè, & moralitè. Ex dictis de Sacramentis in genere Diss. 3. art. 3. probatione 3. ex D. Thom. habemus, gratiam conferri ex opere operato, dupliciter intelligi: 1. Activè, quatenus opus per virtutem physicam sibi transeuntè communicatam gratiam confert ultra meritum suscipientis, & conferentis. 2. Passivè, quatenus ad positionem operis Deus confert gratiam independentè a merito suscipientis, & conferentis tanquam a causa efficiente, licet non tanquam a dispositione pro iis, qui sunt dispositionis capaces. Hoc 2. modo, non 1. intelligimus, martyrium conferre gratiam ex opere operato. 1. Quia Martyrium non videtur a Deo institutum ut instrumentum physicum gratiae, cum hujus institutionis nullum in Scriptura, aut Patribus habeatur vestigium. 2. Quia videtur, quod martyrium non aliter nunc conferat gratiam, quam in antiqua Lege Machabæis, qui coluntur ut martyres, & alii; tunc autem non causabat gratiam activè physicè, id enim proprium est Sacramentis novæ Legis. Hac explicatione præmissa, Conclusio quantum ad parvulos non patitur difficultatem. Cum enim hi sint meriti, & propriae dispositionis incapaces, si per martyrium consequantur gratiam, ut probavimus in præcedenti concl. consequens est, quod consequantur ratione operis operati, & non ratione operis operantis. At inde

Prob. Conclusio quantum ad adultos. Martyrium justificat infantes ex opere operato: ergo & adultos. Prob. Cons. 1. A pari, in utriusque enim est æqualiter martyrium: nec est ratio, cur dicatur parvulos justificare ex opere operato, & non adultos, modo scilicet non ponant obicem, & adferant dispositiones, quarum sunt capaces, & non parvuli. 2. Non aliunde quam ex Scripturis, & Patribus colligimus, martyrium justificare parvulos ex opere operato; atqui Scriptura, & Patres non distinguunt inter parvulos, & adultos, sed generalitèr omnibus pro Christo morientibus asserunt gratiam, & salutem. Matth. 10. Qui confitebitur me, &c. Qui perdidit animam suam, &c. ut supra. Similiter SS. Patres, ut jam dicturus sum: ergo.

Prob. 2. ex Patribus. SS. Patres vim justificandi tribuunt martyrio, sicut Baptismo; atqui, si non justificaret ex opere operato, sed operantis, non ipsi martyrio, sed contritioni, & perfecte dilectioni esset tribuenda: ergo. Min. patet. Prob. Maj. Tertull. in Apologetico, Omnia delicta, inquit, huic operi (martyrio) donantur. Cyprianus libr. de Orat. Domin. Quale delictum est, quod nec Baptismo sanguinis potest abluì? Et Ep. 73. ad Jubajan paulo. post medium: Numquid potest vis Baptismi major esse, aut potior quam Passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur? Aug. libr. 13. de Civit. c. 7. Mors pro Christo tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte Baptismatis. Et libr. 1. de anima, & ejus orig. Nemo fit membrum Christi, nisi, aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.

Prob. 3. auctoritate, & rationibus D. Thom. qui citatur in contrarium. 1. S. Doct. in hac parte infra q. 87. art. 1. ad 2. dicit: Dormienti dimittit peccata mortalia, & venialia ratione mortis illatae pro Christo, modo non inveniat voluntatem peccato actu adherentem: ergo manifestum est, ipsum censere peccata dimitti in martyrio vi operis, & non vi operantis. 2. In 4. d. 4. q. 3. art. 3. q. 3. postquam dixit: Sicut in Baptismo aquae liberatur homo ab omni culpa præcedente, & poena, ita in Baptismo sanguinis in Resp. ad 1. subjungit: Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operantis; neque quantum ad poenam, quia aliquis martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit, quod voluntate majori charitate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni poena liberari: sed hoc habet ex imitatione Passionis Christi. His verbis S. Thom. non solum conclusionem nostram manifestè asserit, sed ejus rationem inconcussam tradit. Indè enim sic

arguo: Ecclesie fides est, martyribus totam culpam, & poenam remitti, juxta illud Innoc. III. jam laudatum: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; atqui id non obtinet neque vi charitatis, neque vi poenae: ergo vi operis. Non vi charitatis; quia incertum est, an Martyr talem charitatis actum eliciat, ut adaequet totam poenam peccatis multiplicatis, & enormibus debitam, & potest contingere, ut ait S. B. quod in viris sanctis intensior reperitur charitas, quam in Martyribus, quae tamen non sufficit toti poenae delenda. Nec obstant verba Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, &c.* ut patet ex solut. argum. Non vi poenae, quam patitur Martyr; quia quandoque est poena levis longe inferior poena, quae debetur innumeris, & gravissimis sceleribus: ergo.

3. Hic art. 12. seq. dicit, quod Passio Christi operatur in Baptismo flammis per quamdam affectionem, in Baptismo vero sanguinis per imitationem; atqui, si Baptismus sanguinis non justificaret ex opere operato, sed ex opere operantis tantum, non aliter operatur, quam per piam affectionem: ergo. Conf. ista ratio: Baptismus sanguinis non est Baptismus flammis; juxta enim SS. Patres, & omnes Theologos sunt tria Baptismata inter se distincta; atqui, si Baptismus sanguinis Martyres justificat ex opere operantis tantum, scilicet, merito contritionis, & charitatis, erit Baptismus flammis: ergo. Vide iterum S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1.

Ex his inferes, contritionem charitate perfectam non esse dispositionem necessariam requisitam ad martyrium; sed sufficere attritionem, qualis requiritur ad Baptismum, & Poenitentiam, sicutque accedentem ad martyrium ex arto fieri contritum. Vide loco cit. de Fortitudine.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Martyrium est actus perfectissimae charitatis, juxta illud Christi Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo ex opere operantis justificat. R. N. Ant. nisi intelligatur de actu charitatis, non formaliter, sed objective, ut jam dictum est, & iterum mox dicetur. Quantum ad verba Christi, non est illorum sensus, quod ipsa mortis permissio pro Christo semper necessariam involvat charitatem, ut patet ex illo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: Neque quod charitas sit semper major in Martyre, quam in alio; constat enim, B. Virginem omnes Martyres in charitate superasse. Sed sensus est, quod inter humanum actum nullus est, quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam Martyrio; quasi diceret: majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Vide hanc solutionem fusiuse explicatam loco cit. de Fortitudine arg. 3. contra 6. Concl.

Inst. 1. Ex ipso textu laudato Apostoli: *Si tradidero corpus meum, &c.* ergo Martyrium saltem salutare, de quo agitur, supponit charitatem, quae opere operantis justificat. R. N. Cons. Hec enim Apostoli verba non sunt necessariò intelligenda de charitate habituali praecedente Martyrium, qua homo constituitur amicus, & filius Dei; sed de charitate, vel habituali, vel actuali, hoc est, sincero Dei amore benevolens, qui dicitur late charitas, qualis esse solet in Catechumenis, & poenitentibus: hanc est enim dispositio necessaria ad Martyrium, ut dixi loco cit. de Fortit. qui autem cum hac dispositione amoris benevolens accedit ad Martyrium, habet in termino charitatem habitualem cum gratia justificante, quam producit Martyrium ex opere operato.

Inst. 2. S. Thom. hic art. seq. 12. ad 2. dicit: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flammis, & non e converso*; atqui Baptismus flammis importat charitatem perfectam: ergo. R. eadem solutione, quod Baptismus sanguinis non est sine charitate praecedente actuali, qui sit amor Dei benevolens, & in termino non est sine charitate habituali comitante, ideoque includit Baptismum flammis.

Inst. 3. S. Thom. hic art. 11. o. dicit, quod Martyrium causat gratiam per potentissimum charitatis fervorem: ergo. R. S. Thom. intelligendum esse de fervore, seu actu charitatis non formaliter, & per modum actus interni, sed materialiter, & objective, eo modo quo fuit in parvulis pro Christo occisis.

Inst. 4. S. Bern. Ep. 77. ad Hug. Vict. paulo ante medium, dicit: *Cum non aliunde Martyrium nisi ex fidei merito illam obtineretur prerogativam, ut singulariter vice Baptismi securè suscipiatur, non video cur non ipsa aequè, & sine Martyrio apud Deum tantumdem possit*: ergo juxta Bernardum Marty-

rium ex opere operantis, scilicet, merito fidei, sicut Baptismus flammis justificat. R. N. Conseq. Intendit enim Bernardus ibi probare, Baptismum flammis, seu fidem per dilectionem operantem, supplere vices Baptismi aquae; ad quod probandum dicit, quod Martyrium habet a fide, scilicet, tanquam a dispositione necessaria, quod supplet vices Baptismi aquae; Nam absque ipsa, inquit, quid est Martyrium nisi poena? Ex quo inferit, quod ipsa, si tamen sit formata, sola sine Martyrio possit supplere vices Baptismi aquae. Unde ex hoc textu S. Bernardi sequitur, quod fides sit dispositio necessaria ad Martyrium; at non quod in Martyrio conferatur gratia vi, & merito illius fidei, & non vi operis.

Obj. 2. Quilibet homo tenetur in articulo mortis elicere actum charitatis perfectae; hac autem charitate justificabitur, antequam subeat Martyrium: ergo. R. 1. juxta quosdam, quod, quamvis praecipuum charitatis secundum se obliget in articulo mortis, per accidens tamen, & in hoc casu particulari Martyrii non obliget, quia, sicut Martyrium propter opus externum praestantissimae charitatis supplet Baptismum aquae, ita & actum perfectae contritionis. R. 2. secundum alios, quod, quamvis per se loquendo, & attenda Martyrii natura, peccator adultus non tenetur ad actum perfectae contritionis, sed sufficit attritio, attamen attendo articulo mortis, in quo maxime urget praecipuum charitatis, tenetur in quantum potest elicere actum contritionis perfectae, saltem existimat talem, qui si reipsa non sit, nihilominus justificabitur per Martyrium. Et haec sententia est nobis probabilior, atque tutior, & in praxi tenenda. Similitas existimamus, ipsum teneri baptizari, si non sit baptizatus, & baptizatus confiteri, si utriusque facultas adsit; quia non constat, quod Martyrium a praecipuis communibus eximat, dum possunt adimpleri.

Obj. 3. Non potest assignari tempus, in quo Martyrium conferat gratiam ex opere operato: non instans mortis; quia cum res permanentes, dum corrumpuntur ad generationem alterius, secundum Philosophum desinant per primum sui non esse, tunc homo non est amplius: non ante illud instans, quia tunc nondum est Martyrium, utpote consistens in morte; & aliunde posset tunc homo adhuc peccare, & amittere gratiam Martyrii; sique non constaret, Martyres esse salvos: ergo. R. Martyrium gratiam conferre in illo agonis Christiani instanti, in quo etsi nondum physicè adsit mors, ob tamen inevitabilem mortis impendentis necessitatem eurus vitae, & Martyrium censetur moraliter consummata: in quo instanti, vel homo sic est viribus, & sensibus destitutus, ut amplius peccare non possit, vel a Deo sic regitur, ut non peccet. Hoc autem instans licet a nobis designari non possit, sufficit, quod Deo sit notum.

Sed quid, si in illo instanti, aut post illud, miraculose sanaretur; essetne Martyr? R. Idem posse inquiri, si Deus ipsum jam mortuum resuscitaret. Dicendum itaque, fore in hoc casu verum Martyrem, modò tamen non peccaret mortaliter. An autem esset in gratia confirmatus? quidam asserunt ut congruum divinae providentiae: sed cum id non sit ullibi revelatum, incertum est.

Inst. Si Martyrium causet gratiam ex opere operato, erit Sacramentum. R. N. Sequelam. 1. Quia non est caeremonia sacra a Deo instituta, qua ordinariè uti debeant homines ad gratiam consequendam. 2. Quia non constat rebus, & verbis. 3. Quia non est signum, vi sua activè causans gratiam; quae omnia requiruntur ad Sacramenta novae Legis.

Petes, utrum Baptismus Sanguinis sit potissimum inter alia Baptismata? R. Hic art. 12. o. esse potissimum ratione effectus, scilicet gratiae, quem in eo operatur passio Christi. Etenim in Baptismo aquae passio Christi operatur per quamdam figuralem representationem; in Baptismo sanguinis per imitationem realem operis. (In 4. d. 4. q. 3. art. 2. q. 4.) Insuper gratia in Baptismo Sanguinis magis quam in Baptismo aquae augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit: & remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque omnem poenam, & culpam tollit, tamen est in Baptismo sanguinis efficacior, & fructuosior; quia secundis maculis non inquinatur, ut dicunt Damasc. & Greg. Naz. Orat. 39. in sancta lumina.

Dixi: *ratione effectus, scilicet, gratiae*; quia Baptismus aquae praestat 1. in ratione Sacramenti; Martyrium enim, ut dictum, non est Sacramentum. 2. In modo cansandi; quia Baptismus aquae causat ex opere operato activè physicè; Martyrium autem passivè tantum, & moraliter. 3. Baptismus aquae imprimi characterem, non Martyrium. Omittimus Art. 10. S. Thom. de ritibus Baptismi, quia redibit infra.

DISSERTATIO II. DE MINISTRO BAPTISMI.

Duplex distinguitur Minister Baptismi, unus solemnitatis, alter necessitatis. Minister solemnitatis est, qui cum caeremoniis in Ecclesia adhiberi solitis baptizat: Minister necessitatis est, qui his caeremoniis est omissis in necessitate baptizat. Minister extraordinarius, & ex delegatione.

Mulierium facultatem baptizandi solemniter concessisse Marcionistas, Papianos, & Collyridanos, testatur Epiphanius. Haeres. 42. & 79. quorum petulantiam redarguunt Tert. 1. de Praescript. c. 4. & 1. de Bapt. c. 7. & Conc. Carthag. 4. Can. 100.

E contra Calvinus l. 4. Instit. c. 15. §. 20. & seq. Etetur multis quidem ab hinc saeculis, adeoque ab ipso ferè Ecclesiae exordio, usu receptum, ut in periculo mortis Laici baptizarent: sed negat id posse sustineri. Utrum censuerit, Baptismum a Laicis collatum esse irritum, aut tantum illicitum, non constat: & ideo ejus sectatores in hoc sunt divisi. Eandem errorem tribuit quibusdam Graecis recentioribus Arcadius l. 1. de Bapt. Inter veteres, qui censebant, nullum esse Baptismum collatum ab Haereticis, verisimile est eos idem censuisse de Baptismo collato a Laicis non baptizatis; quia pro utriusque curtebat palmare eorum principium: *Nemo dat, quod non habet.*

ARTICULUS I.

Quis sit Minister solemnitatis in Baptismo?

Dico (Hic q. 67. art. 1. & 2. o.) Omnis, & solus Sacerdos vi suae ordinationis est ordinarius Minister solemnitatis in Baptismo: Diaconus vero est tantum Minister extraordinarius, & ex delegatione Episcopi, vel Presbyteri.

Prob. 1. Ab auctoritate l. 3. Constit. Apost. c. 11. Clemens Papa sic loquitur: *Nec reliquis clericis potestatem baptizandi factum, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Ministris, nisi tantum Episcopis, & Presbyteris, ministrantibus Diaconis Gelasius in Ep. ad Episcopos per Lucianum, refertur dist. 93. Cap. Diaconus 9. dicit: Diaconus propriam constitutum observare mensuram. Et infra: Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeat, nisi praedictis ordinibus fortasse longius constitutus, necessitas extrema compellat. Dist. 25. Cap. Perlectis. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quae aguntur, Sacramentis Christi, in Baptismo, in Chrismate, Patena, & Calice. Cap. Constat de Consecrat. dist. Constat baptisma solis Sacerdotibus esse tradendum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis expleat licitum, nisi his praesentibus ultima languoris necessitas cogat. Concil. Florent. in Decreto unionis: Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Item Catech. Rom. p. 2. de Bapt. n. 18.*

Prob. 2. (Ibid. art. 2.) ratione. Ad Sacerdotem pertinet Eucharistiam conficere: Eucharistia autem est Sacramentum unitatis, & pacis, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*; atqui per Baptismum homo fit particeps Ecclesiae unitatis, accipitque jus ad mensam Domini: ergo, sicut pertinet ad Sacerdotem ex officio Eucharistiam consecrare, proprium ejus officium est baptizare, quia ejusdem est causae totum facere, & partes ad ipsum totum ordinare.

Conf. Il soli cooptare possunt Fideles in Ecclesiam, seu in corpus Christi mysticum, quod fit per Baptismum, qui habent potestatem in illud; atqui soli Sacerdotes, & non Diaconi habent potestatem in corpus Christi mysticum derivat ex potestate in corpus ejus naturale; atqui soli Sacerdotes, & non Diaconi, habent potestatem in corpus ejus naturale: ergo. (Ibid. art. 1. o.) Adde, quod vox Graeca Diaconus idem sit ac Latine Minister. Unde Dist. 93. c. 17. dicitur ex Conc. Carthag. 4. *Diaconi ita se Presbyteri, sicut Episcopi, ministros esse cognoscant.*

Quod autem Diaconi possint ex delegatione Episcopi, vel Sacerdotis baptizare solemniter, patet 1. Ex Juribus cit. C. Diaconus & C. Constat. Ex Tertull. de Bapt. c. 17. & S. Hieron. adv. Lucifer. qui expresse id asserunt. 3. Exemplo S. Philippi Diaconi, qui baptizavit Simonem Magum Act. 8. & Eunuchum Candacis Reginae ibid. 4. Ex Ordine Romano, juxta quem Episcopus Diaconis, dum ordinantur, dicit: *Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesia ascendit: Diaconum*

enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & predicare. Quod sic intelligitur, ut Diaconus vi ordinationis suae habeat, quod possit delegari ad baptizandum solemniter, & sic delegatus agat ex officio.

Dixi in conclusione: *vi ordinationis*, seu Jure divino; quia Jure Ecclesiastico effectum est, 1. Ut prioribus Ecclesiae saeculis, praesertim cum his tantum in anno baptismus solemniter conferretur, Episcopi sibi reservarent munus baptizandi, ut constat ex Tertull. & Hieron. citatis; ita ut tunc Sacerdotes non possent licitè baptizare sine licentia Episcopi: & non, tum ob majorem ordinis Episcopalis commendationem; tum ob celebritatem Festivitatibus Paschae, & Pentecostes, quibus diebus tantum solebat Baptismus solemniter administrari; tum etiam quia tunc non erant Baptisteria nisi in Cathedralibus, & majoribus Ecclesiis. Et hinc praerogantur inst. n. tunc quorundam, qui volunt Episcopos primo loco, Presbyteros autem secundo loco tantum, & ex licentia Episcopi esse ministros ordinarios Baptismi. Id quidem verum fuit Jure Ecclesiastico pro tunc, non autem Jure divino, & vi Ordinis, ut patet ex probationibus conclusionis, praesertim ex Constit. Apost. Conc. Flor. & Catech. Rom. Item ex Innocent. I. Ep. ad Decentium c. 5. Tom. 2. Conc. ubi de Presbyteris dicit: *Sive extra Episcopum, seu praesente Episcopo baptizant*. Imò ipse Paulus 1. Cor. 1. dicebat: *Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare*. Et nunc vix reperiantur Episcopi qui baptizent, sed soli Sacerdotes, nulla requisita licentia, hoc munus obeunt.

2. Jure Ecclesiastico sancitum est, ut, quamvis omnis Sacerdos vi sui Ordinis habeat potestatem baptizandi, ea tamen suspensa maneret, nec posset ea licitè uti, etiamsi privatim extra casum necessitatis, nisi haberet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Ità colligitur ex cap. *Interdiximus* causa 16. q. 1. Ex Rit. Rom. ubi legitur, Baptismi ministerium esse Parochum, vel alium Sacerdotem, a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatum; & ex communi praxi Ecclesiae. Neque tamen sequitur, quod Baptismus, ab alio, quam a Parocho, collatus, sit irritus, sicut absolutio collata sine jurisdictione est irrita; non enim haec jurisdictio requiritur ad validè, sed ad licitè baptizandum; neque baptizare est actus jurisdictionis in subditum, sicut absolutio; sed est actus habentis jurisdictionem ad licitè agendum quod agit, ut acutè observat Sylvius.

Hinc inferes, graviter peccare Sacerdotem, qui extra casum necessitatis baptizat sive solemniter, sive privatim infantem absque licentia proprii Parochi; quia violat praecipuum Ecclesiae, & usurpat jus alterius. Quapropter nec Parentibus licet suos infantes baptizandos alieno Parocho offerre. Nulla tamen legitur in Jure irregularitas statuta in Sacerdotes sic baptizantes. Sects de Diaconis, ut mox dicam.

Dices: Per Baptismum annumeratur quis populo Christiano, ut dictum est, quod quidem videtur ad solius Principis officium pertinere; atqui principatum tenent in Ecclesia Episcopi: ergo. R. (Ibid. ad 2.) Quod in qualibet Republica, ea, quae sunt minora, pertinent ad minores Officiales, majora vero majoribus reservantur. Unde ad minores Civitates Principes pertinent dispendere de minore populo, & ad summos principes pertinet dispendere ea, quae pertinent ad majores Civitates. Per Baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in Populo Christiano, & ideo pertinet ad minores Principes Ecclesiae, id est, ad Presbyteros, qui tenent locum 70. Discipulorum.

Petes 1. Utrum etiam Subdiaconi, vel inferiores Clerici possint delegari saltem a Papa ad baptizandum solemniter? R. Id nunquam factum legitur. Sed esto, summ. Pontificem posse dispendere cum Subdiacono, ut adhiberet solemnitates solitas, id enim implicare non videtur, cum sint ex institutione Ecclesiae; non posset tamen dici simpliciter baptizare solemniter, quia tot solemniter significat etiam baptizare ex officio; & in hoc differret Subdiaconus a Diacono delegato, qui supposita delegatione baptizat ex officio, quatenus habet vi sui ordinis, ut possit ad hoc delegari, sicut dictum est.

Petes 2. Utrum Diaconus sine commissione Episcopi, aut Sacerdotis baptizans in extrema necessitate possit baptizare solemniter? R. probabiliter affirmative: quia plus videtur illi a Jure concedi, quam Laicis, qui possunt in necessitate baptizare sine solemnitate; aliunde commissio facta a Jure potest censeri tacita commissio Episcopi. Et ita significat Glossa in Canon cit. *Diaconus*, dicens, quod ubi necessitas existit, & Pres-